Melior est amicus Medicus quàm extraneus.

O Semper rerum cupidissima terra nouarum
Anglia! nunc Medicos disce fouere tuos.
Quos ingrata petis? Quibus experientia parua,
Patria longinqua est, mens aliena magis.
Accipe, ne pereas, partes agitando quietas
Ante diem: Quamuis stat sua cuique dies.
Vt iuuenum mores & amores ante magister,
Ipse quibus ludum vult aperire, notat,
Addat vt his stimulos, illósque refrænet habenis,
Vt vires, ætas, ingeniúmque ferunt:
Sic nostri & noti, quos ars dedit esse magistros
Corporis, hoc, in quo cura locetur, habent,
Vsus vt edoceat, digitis dum corpora tractant,
Signa vident oculis, intima mente sciunt.
Quisque diu triti longum maris æquor arabit,
Sed rudis ignota naufragus exit aqua.
Quando magistratus cultúsq; habitúsque virorum
Nouit, eos apta flectere lege potest.
In quo consenuit pressi moderator aratri,
Scit fortunatus credere semen agro.
Quare agite ô patrios ægroti quærite vobis
Agricolas, (liceat dicere) membra colent.
Sunt vobis, sunt his similes ex parte dolores,
Suggerit his in se gentis imago suæ.
Fallor? An abstrusæ latebræ, variqúe recessus
Corporis, &, qua sit proprietate, latet?
Est aliquid partes didicisse fideliter omnes,
Viscera ne sordes eiiciendo teras.
Sed multi tantùm peregrino nomine miri
Scilicet Hippocratem se superare putant:
Qui dubij (nam res animos incognita turbat)
Infirmos adeunt: sed dubitare pudet:
Et tamen, ignotum seu qui iactantur in orbem,
Hærent, nec rectà pergere posse datur.
Dúmque volunt morbum sanare, leuare dolorem,
Saltem aliquod fortes aggrediuntur opus.
Heu malè tum minuunt vires, mutántq; vigorem!
Dum quæ decernunt, sunt inimica satis.
Vt qui pisciculos & arundine fallit & hamo,
Incertus linum conijcit amne nouo,
Demens, si quouis credat sub gurgite prædam,
Quamlibet & speret qualibet arte capi:
Sic Medicus nouus hoc, Semper tibi pendeat hamus,
Ore tenet sed non Casus vbique valet.
Nec tu credideris, quasi velles ludere talis,
(Tessera res leuis est) talia membra viris.
Tu iactum studio citò corrigis: at graue morbo
Si quis in humano tanta pericla facit.
Ipse licèt venias aliundè Galene vocatus,
Cui minùs hic nuper cognitus æger erat,
Ignarus quanti motus, mutatio quanta
Facta sit, ignarus quo fuit antè statu,
Quásque in eo exercent aliena cathartica vires,
(Nam variè varios euacuare solent)
Dic mihi quam poteris mensuram ponere certam?
Et quo danda gradu, quæ medeantur, erunt?
Crede mihi, grauiúsque premes, periméque repentè
Quisquis es, Hospes, eum quem releuare studes,
Ferrea sic ætas Non hospes ab hospite tutus,
Hoc sensu potiùs vera Poëta canit.

Errârunt igitur, Medicis quicúnq; propinquis
Externos, cæcos antetulere duces.

In febre pestilente sanguis est mittendus.

Tempora bis duo sunt (modò te Deus adiuuet author)
In quibus est ægro restituenda salus.
Cùm mala nascuntur, crescunt, stant, deníque cedunt,
Facta per optatas debiliora moras.
Magna quidem semper, sed maxima cura sit horum,
Cùm se dant primùm lurida signa luis.
Nunc demum irasci Omnipotens mortalibus ægris
Discit, & incendit iustior ira Patrem.
Et nunc vitales vitiantur odoribus auræ
Pestiferis. Adeo est exitiale scelus.
Tum verò (solùm rebus quod restat acerbis)
Tum neglecta viris est reuocanda fides.
Et tum tu casta primùm prece Numen adora.
Ast aliquid Medicas est adhibere manus.
Nam quibus est animus præsens, patiénsque pericli,
Inueniunt aliquam, cùm via nulla, viam.
Tundere ne turpi salientem sanguine venam
Ne dubites: miserum si meliora manent
Res dura, & morbi grauitas te extrema coegit
Moliri. Turbam pax solet alma sequi.
Extremis morbis extrema medela petenda est,
Vt viuas viuum quid resecare times?
Mercatoris opes, athletæ gloria, capti
Libertas merces, si satis audet, erit:
Si prudens etiam (námque imprudentia prorsus
Præcipitata ruit) quod satis audet, agit.
Adde quòd emisso deferuet mortifer æstus
Sanguine, si calidum vas aperire velis:
Sed contrà exultant latices vndantis aheni,
Atque magis tectæ vis furit intùs aquæ.
Aspice feruentes primæuo flore iuuentæ,
Iam nimius tumido corpore succus inest:
Aspice ver, cùm sol ardentior vrere cœpit,
Iam nimio quæuis sanguine vasa tument:
Vena viris illis, hoc tempore vena secanda est,
Sed magis his, quos huc pestifer ardor agit.
Quæ tibi causa metus? Ne corda carentia iustis
Fomentísque suis exanimata cadant?
Et ne fortè voces vltrò venientia fata,
Cùm magis antidotis te stabilire cupis?
Ipse tuo ferro moderaris, sistis, & vrges,
Pungere nunc acie, nunc inhibere potes.
Omnibus obseruanda locus, via, pondera, tempus,
Et metas, ad quas progrediare, loces.
Quid quòd & hoc natura resurgit alacrior ictu,
Sordibus exhaustis quòd recreata viget.
Vidi ego. Qui totos humore tetenderat artus,
Torpuit, ac habitu languidiore fuit
Putrida materies, & inutilis humor abundat?
Hæc fæx est antris elicienda cauis.
Nil aliud valet immersum pertingere virus,
Nam latitat, tanquam vipera dira specu.
Denique commodior volat irreuocabilis hora,
Quæ celeri velox est rapienda manu.
Sed reperire potest nemo præsentius vllum
Auxilium, quàm sic perterebrare poros.
Hic labor, hinc laudem Medici sperate fideles,
Serpere ne longè pestis acerba queat.
Námque vel ad tacitos contagia tetra meatus
Cordis se poterunt insinuare breuì.

Ecquis erit iam, qui cùm turbida sanguine turget
Vena, venenata febre secare vetat?

LONDINI,
Ex officina Henrici Denhami Typographi. 1580.